



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorum Vita, Moribus, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Cap. LVI. Ista Horarvm Canonicarvm vtcifitudine Redemptionis nostræ
mysteria repræsentantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

De Collecta-
rum initio.

§. Porrò de collecta, vel oratione vsus Christianorum semper fuit, vt nunquam in Ecclesia colligeretur, quin finis esset orationis, vt constat ex 2. *Apol. Iust.* & ex *Apol. Tertull. c. 39.* & sic statuitur in *Concil. Agaten. c. 21.* & *Concil. 3. Carthag. causa. 23.* & *Mileu. c. 14.* vbi & iubentur Sacerdotes non legere Orationes, nisi ab Ecclesia approbatas, easq; non nisi impari numero dicendas neque vltra septem. Collecta autem & orationes in nostro officio Romano composita sunt à S. Pontificibus, quas teste *Wallefrido & Strabone, D.*

Cur precati-
ancula sacri
fidelium ca-
tum termi-
nantes ap-
pellenur
Collecta.

Gregorius suo tempore in vnum collegit. Dicuntur autem Collecta, eo quod summa breuitate vota astantium colligant, vt habet *Strabo cap. 22.* & *Micrologus lib. de obseru. Ecclesiastic. c. 3.* & à Sacerdote apud Deum legationem obeunte ad eum referantur, vel quod ex sacris Scripturis & Sanctorum monumentis collecta sint, vel ex multis sermonibus, vt compendium & breuiarium facta, quae tamen & in sacrificii recitantur primordio.

C A P. LVI.

ISTA HORARVM CANONICARVM
vicissitudine Redemptionis nostrae mysteria re-
presentantur.

Quae vesper-
zino tempore
mysteria à
Christo per-
acta.

§. **H**ora vespertina (inde enim officium Ecclesiasticum initium sumit) Christus cenam cum Discipulis fecit, pedes eorum lauit, Sacramentum Eucharistiae instituit.

Sero crepus-
culo quid a-
ctū à Chri-
sto.

§. Hora completorii, post orationem in horto & sudorem sanguinis effusum, comprehensus ab inimicis, atque ad Annam & Caipham ductus, variis modis illusus fuit.

§. Hora

§. Hora matutina in concilio Pontificum & Pharisæorum, in initum est concilium de ratione perdendi Christum.

*Ante auribus
ram inquisi-
tionis jencen-
tis damna-
tur Christus.
Dilucidè ad
iniustissimos
pertractus
iudices Sal-
uar. r.*

§. Hora prima ductus est Dominus ad Pilatum, atque inde ad Herodem, & rursus reductus est ad Pilatum.

§. Hora Tertia crucifixus est vocibus Iudæorum, flagellis cæsus, & spinis coronatus à militibus Pilati.

*Tertia lucis
hora ad cruce
postulatus
Liberator.*

§. Hora Sexta crucifixus reipsa, atque à terra, (ut ipse prædixerat) exaltatus, maximum Deo Patri pro totius mundi salute sacrificium immolauit.

*Media lucis
in durâ cruce
actus
Seruator.*

§. Hora nona spiritum emisit, ad inferos descendit, regnum Sathanæ destruxit.

*Ab hora nona
in summis cruci-
bus Sol in-
stis occu-
buit.*

§. Rursus Hora Vespertina de cruce depositus, & in sepulchrum illatus est.

§. Hora Completorii dum ipse quiesceret in tumulo, sepulchrum ipsum ab inimicis signatum fuit & militum custodiis septrum, atque munitum.

*Flexo in ve-
spertina die
inclina-
to, Christus
cruce exem-
ptus & sepul-
tura man-
datus*

§. Hora Matutina; id est, sub aurorâ resurrexit, redemptionemq; perfecit; in cuius rei figuram in vigilia matutina Deus olim Pharaonem cum exercitu suo demersit in mare, & filios Israel liberauit.

§. Hora prima apparuit sanctis mulieribus.

§. Hora tertia descendit Spiritus sanctus super Apostolos.

*Manu redi-
muntis Chri-
stus.*

§. Hora sexta S. Petrus orans mandatum accepit, ut Gentiles admitteret ad Ecclesiam: & eadem hora coapostolus ejus Paulus Christo sibi apparente conuersus, & ad prædicandum Gentilibus destinatus est.

*Quid hora
prima.
Quid tertia.
Quid sexta.
Quid nona.*

§. Hora nona primitiæ Gentium Cornelius Centurio Angelico ministerio ad Apostolum Petrum audiendum missus est.

K

§. His

§. His rationibus addi potest confirmatio ex eo, quod satis constat ex *Ioanne Casiano libr. 2. de institutis Cœnobiiorum. cap. 4. & 5.* non solum humano, sed etiam Angelico Magisterio canonicarum Horarum ordinem constitutum: Item alia confirmatio ex eo, quod narrat *Ado Treuirensis in Martyrologio ad nonum diem Ianuarii* occisa magna copia sacerdotum in persecutione Diocletiani, auditam fuisse circa eorum reliquias cœlestem psalmodiam mane & vesperi, & rursus hora tertia, sexta & nona. Quæ sanè manifesta sunt iudicia; quod hæc religio statis horis DEVM laudandi, quam sancti illi Martyres, dum viuerent, semper tenuerant, Deo non mediocriter placeat.

§. Denique illud etiam addi potest, usque adeo antiquis temporibus studium celebrandi canonicas horas in Ecclesia floruisse, ut Iulianus Apostata inuidens Christianis hoc ornamentum, iusserit Sacerdotibus Idolorum, ut ipsi quoque similem formam statis horis precandi & laudandi Deos in suis fanis instituerent. *Vide Sozomenum libr. 5. histor. cap. 15.*

§. De hac Dominica Passionis per Horas Canonicas commemoratione, ita *S. Clemens. libr. 8. constit. Apostolicarum, cap. 34.* *Preces vestras facite diluculo, tertia hora, sexta, nona, vespere & in galli cantu. Diluculo gratias agentes, quoniam illuminauit nos Dominus expulsa nocte, & indulto die: Tertia, quoniam illa hora Dominus sententiam Pilati accepit: sexta, quoniam tunc crucifixus est: Nona, quoniam omnia commota sunt crucifixo Domino, per horrentiam impiorum audaciam, & non ferentiam ignominiam Domini: Vespere gratias agentes, quod dedit nobis diuinorum laborum requiem: in galli cantu, quoniam illo tempore nuntiatur aduentus dierum, ad exercenda opera lucis.*

§. Quin & aliæ suppeditant rationes ob quas Cænoni

nonicarum precum quotidianum vsu diuino instructu suscepit S. Ecclesia, & quidem S. Bonauentura opus. de 6. alis Seraphi. cap. 8. quinque valde pias institutioni officii diuini assignat causas.

§. Prima causa fuit: vt Ecclesia militans imitaretur morem Triumphantis: in qua angeli & Spiritus Beati coram Deo semper assistunt, eius laudibus attendentes, iuxta illud Dauidis Psalm. 83. v. 5. Beati, qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te. Cum igitur Christus Dominus noster sicut est in celo realiter & vere, sit etiam in sanctissimo Altaris sacramento in ipsis templis: equum & iustum est, vt sint constituti ministri, qui eius presentia assistant, laudesq; decantent cum ea maiori continuatione & frequentia, quam humana fragilitas adhibere potest. Et videntur Seraphini, quos vidit Isaias descendisse de celo in templum Ierosolymitanum; vt nos docerent modum Deum in nostris templis laudandi. In presentia enim Domini Isaias 6. vers. 3. clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum, plena est omnis terra gloria eius: vt homines intelligerent, se debere imitari incensum Seraphinorum amorem: vt magna concordia vniti, Sanctissimam Trinitatem laudent: existimantes, hanc esse supremam occupationem, quam in terra habere possunt: cum de ea gloriantur supremi caelestes Angeli: quorum laudibus debent suas coniungere, vt earum defectus suppleatur, fiantq; Domino ipsi gratiores. Ideo enim Ecclesia in prefatione addit: cum quibus & nostras voces vt admitti iubeas deprecamur, &c.

§. Secunda huius institutionis causa fuit: vt esset perpetua diuinorum beneficiorum memoria, designatis certis horis, in quibus Deus sit laudandus; gratiaq; illi pro eis agenda: vt huius obligationi maiori, qua possemus, continuitate satisfaceremus, iuxta illud Dauidis Ps. 33. v. 1. Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus eius in ore meo; & illud Isa. 63. v. 7. Miserationum Domini recordabor, laudem Domini super omnib. q̄ reddidit in nobis; & super multitudinem bonorum, quae domui Israel

largitus est. In quibus verbis meminit duorum beneficiorum specialium, quae largitur Dominus unicuique fidelium; & generalium, quae concedit domui Ecclesiae suae, in omnium utilitatem. Ut autem utrorumque, sit continua memoria & gratiarum actio, instituta sunt hora Canonica: ut Ecclesiastici suo & Ecclesiae nomine semper Deum laudent, gratiasque pro his beneficiis agant: sed magis in particulari, ut memoriam habeant beneficii nostrae redemptionis, Dominumque laudent, qui media nocte fuit natus; & alia nocte ingentes sustinuit cruciatus; mane vero ad iudices deductus; & hora tertia flagellatus & ad mortem damnatus; sexta autem crucifixus; vespere tandem mortuus; & circa noctem sepultus; postea diluculo surrexit, & hora tertia Spiritum sanctum misit. Cum igitur hisce filiis adeo insignia beneficia Ecclesiae contulerit: dicebat ut eius filii eisdem horis ad ipsum Dominum, qui ea tanta liberalitate & misericordia contulit, laudandum convenirent.

S. Huic causa affinis valde est tertia: ut scilicet orationum exercitium, quae posset maxima frequentia continuaretur, duplici nomine. Altero, eo quod necessitates & miseriae tam particulares, quam communes, quibus premimur sint continua: quarum uniuersalis reparator est ipse DEVS Dominus noster, adhibita ratione ad id impetrandum; Altero, eo quod oratio sit efficacissimum medium ad conseruationem & augmentum Fidei, Religionis, & Sanctitatis, quam profitemur: quae absque diuino fauore non potest diu durare. hic autem fauor obtinetur orationibus. Et utroque hoc nomine dixit Christus Dominus noster: oportet semper orare, & non deficere. Quod (ut ait Beda) praestat Ecclesia, statuendo ut eius Ministri roties die ac nocte conueniant, ad horas Canonicas dicendas: ut utrumque à Deo obtineant, quas quotidie repetunt: ut quotidie utrumque obtineant, iuxta illud S. Hieronymi, Deus semper largitor semperque donator est: non mihi sufficit, quod semel donauit, nisi semper donauerit. Peto, ut accipiam; & cum accepero, rursus peto. Auarus sum ad suscipienda beneficia DEI. Neque ille deficit in dando, neque ego satior in accipiendo; quanto plus bibe-

ro, tanto plus sitio. Præterea cum officium Diuinum non solum contineat petitiones; sed multos actus, & virtutum omnium affectus complectatur: ideo si, vt oportet, dicatur: non solum consilium impletur, semper orandi, sed etiam proficiendi continuè in puritate & sanctitate: iuxta illud quod Spiritus sanctus dicit Apoc. 22. v. 11. qui iustus est, iustificetur adhuc: & sanctus, sanctificetur adhuc. Et illud Ecclesiastici. cap. 18. v. 22. Non impediaris orare semper, & ne verearis vsque ad mortem iustificari: quoniam merces Dei manet in æternum. Hinc etiam Quarta causa huius institutionis oritur: vt communis plebs, quæ parum scit, parumq; delectatur hoc exercitio orandi & laudandi Deum, ei assuescat, accedens ad Ecclesiam constitutis horis: vbi non solum per ipsos Sacerdotes oret, & laudet Deum; sed hoc etiam exemplo seipsam excitet: vt, iuxta suam capacitatem, idem præstet; & attendens Diuinis officiis, reddatur ei minus graue tempus, quod ibi orando expendit. Experientia enim docet nos, quod nisi sancta hæc esca proponeretur: multi nõ accederet tẽpla: ant cito defatigarẽtur in eis manẽdo. Et hoc est, qd S. Lucas dixit: quando Zacharias Pater S. Ioannis Bapt. ingressus est templũ Domini, vt secũdũ cõsuetudinẽ Sacerdotii incensum poneret: tunc omnis multitudo populi erat orans foris hora incensi, atq; si nunc diceremus: dum Sacerdotes officium suum præstant in altari, vel in choro omnis populus est foris orãs, & clamans ad Deum, bono illorum exemplo permotus.

Quinta causa est: quia id spectabat ad Catholica Ecclesie, & Christiana religionis decorem. Si enim gentiles conueniebant in suis templis, vt suos falsos Deos adorarent & laudarent: multo magis est rationi consentaneum, vt Christiani in templis nostris conueniamus, ad adorandum & laudandum verum nostrum Deum. Et, si antiqua legis fideles suas etiam faciebant cõgregationes in suis synagogis; suaq; festa celebrant pro gloria Dei nostri: multo certè magis iustũ est, vt Christiani cõueniamus in templa nostra vt eum laudemus, & altissimorum eius mysteriorum, & sacramentorum participes efficiamur: facientes quod refert Ecclesiasticus de Dauide Ecclesiastic. c. 47. v. 12.

dicens: dedit in celebrationibus decus, & orauit tempora usque ad consummationem vite; vt laudarent nomen sanctum Domini; & amplificarent mane Dei sanctitatem: Omnes enim tenemur eum laudare: quia talis est; & propter altissimas, quas in se habet perfectiones; & propter amplissima opera, que nobis prestat, ac prestat: decetque vt omnes nostras vires intendamus in his cum omni solennitate possibili prestandis: semper enim minus faciemus, quam infinita eius maiestas deposcat, & promereatur, vt aperte dixit idem Ecclesiasticus Eccl. 43. v. 32. Glorificate Dominum quantumcumque potueritis, superualebit enim adhuc & admirabilis magnificentia eius. Qui benedicitis Dominum, exaltate illum quantum potestis: maior enim est omni laude.

§. Nec aspernanda septenarii Horarum sacrarum numeri sunt causa illa: Hostis ille antiquus septem spiritus assumit nequiores se Lucae 11. vers. 26. aduersus quos preualere non possumus, nisi septiformi Spiritus sancti gratia Isaia 11. vers. 2. ad quam impetrandam, septies Deo sacrificium laudis offerri mandauit sancta Ecclesia. Septies in die cadit iustus Prouer. 24. v. 16. Septem sunt capitalia peccata, ex quibus originem ducunt cetera. Quare ne quis in illa labatur, vel lapsus euadat, septies debet laudare Deum, & ab eo veniam petere. Septem Dominicae orationis petitionibus omnia desideranda complexus est Christus Dominus. Matth. 6. vers. 9. Deus creationis opus septimo compleuit die Genes. 2. vers. 2. Quod cum in hominis utilitatem sit factum, merito Creatori debet septenam laudem & gratiarum actionem; septena circuitione, & septeno septem tubarum clangore euersi sunt muri Hierichuntis Iosuae 6. vers. 15. septem aspersiones Leuitici 14. & 16. Septem lampades seu lucernae Exodi 25. In sola Apocalypsi septem Ecclesiae, septem spiritus, septem cancellabra aurea, septem stellae cap. 1. versic. 4. 12. 16. &

16. & cap. 4. septem lampades ardentis cap. 5. vers. 1. Liber signatus septem sigillis, & cap. 6. Agnus habens cornua septem, & septem oculos, &c. De hoc septenario numero S. Gregorius Nazianzenus oratione in S. Pentecosten. D. Basilius homil. 11. in Hexam. B. Augustinus libr. 11. de Ciuit. Dei. cap. 31. & lib. 1. contra Manichæos. S. Hieronymus lib. 7. comment. in Isaiam cap. 22. & lib. 6. Comment. in Hieremiam cap. 32. & lib. 2. Comment. in Amos cap. 5. Galenus in libris decretoriis. Plutarchus lib. de Ei. apud Delphos. Macrobius libr. 1. in somnium Scipionis cap. 6.

CAP. LVII.

*QVIS MODVS CANONICAS
legendi horas.*

§. **M**ulta requiruntur vt legitimè Horæ persoluantur, 1. requiritur integritas, vt nimirum omnes septem horæ diurnæ dicantur: & tres nocturnæ. Ac docent Doctores quotiescunque totum officium omittitur, vel vna pars officii, id est, vna hora, admitti peccatum mortale, siue id fiat ex contemptu, siue ex fastidio & ebrietate, siue ex mera negligentia. Et ratio est, quia est sufficiens materia peccati mortalis, quando eiusmodi de causa, in notabili materia negligitur præceptum Ecclesiæ, vt fit in hoc casu. Ita *Nauar. 1. de oratione. cap. 10. num. 44. Toletus, Bellarminus, Azorius.* Nauarrus etiam putat aliquam partem horæ v. g. dimidium sufficere ad mortale, sed hoc nimis rigidum videtur, non tamen improbabile. Ad hanc integritatem refertur integritas verborum, vt in officii facti vel decantatione vel lectione nulla syllaba omittatur, qua de re vberius sequenti capite.

*Integre diu-
num esse est
persoluendū.
Vel vnus
Canonica
Hora solun-
taria praser-
missio, est le-
thifera cul-
pe admissio.*

K 4

Quan-